

serunt, ut Glossa dicit ibidem. Quantum vero ad secundum, scilicet ad discussionem meritorum, non omnes judicabuntur, nec boni nec mali. Non enim est necessaria iudicii discussio, nisi bona malis permisceantur; ubi vero est bonum absque commixtione mali, vel malum absque commixtione boni, ibi discussio locum non habet. Bonorum igitur quidam sunt qui totaliter bona temporalia contempserunt, soli Deo vacantes, et his quae sunt Dei. Quia ergo peccatum committitur per hoc quod, spreto incommutabili bono, bonis commutabilibus adhaeretur, nulla videtur esse in his commixtio boni et mali: non quod absque peccato vivant, cum ex eorum dicatur persona 1 Joan. 1, 8: "Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus:", sed quia in eis sunt levia quaedam peccata, quae per fervorem caritatis quodammodo consumuntur, ut nihil esse videantur: unde hi in iudicio non judicabuntur per meritorum discussionem. Qui vero terrenam vitam agentes, rebus saecularibus intendentes utuntur eis non quidem contra Deum, sed eis plus debito inhaerentes, habent aliquid mali bono fidei et caritatis admixtum, secundum aliquam notabilem quantitatem, ut non de facili apparere possit quid in eis praevaleret: unde tales judicabuntur etiam quantum ad discussionem meritorum. Similiter etiam ex parte malorum notandum est, quod principium accedendi ad Deum est fides, secundum illud Heb. 11, 6: "Credere oportet accedentem ad Deum.", Qui ergo fidem non habet, nihil boni invenitur in eo, cujus ad mala permixtio faciat ejus dubiam damnationem; et ideo condemnabitur absque meritorum discussione. Qui vero fidem habet et caritatem non habet, nec bona opera, habet quidem aliquid unde Deo conjungitur. Unde necessaria est meritorum discussio, ut evidenter appareat quid in isto¹ praeponderet, utrum bonum vel malum: unde talis cum discussione meritorum damnabitur; sicut rex terrenus civem peccantem cum audientia damnat, hostem vero absque omni audientia punit. Quantum vero ad tertium, scilicet sententiae prolationem, omnes judicabuntur, quia omnes ex ipsius sententia vel gloriam vel poenam reportabunt: unde dicitur 2 Corinth. 5, 10: "Ut referat unusquisque propria corporis, prout gessit, sive bonum sive malum."

CAPUT CCXLIV.

Quod non erit examinatio in iudicio quia ignoret, et de modo et loco.

Non est autem existimandum, quod discussio iudicii erit necessaria ut iudex informetur, sicut contingit in humanis iudi-

¹ Al. in Christo.

ciis, cum omnia sint "nuda et aperta oculis ejus," ut dicitur Hebr. 4, 13. Sed ad hoc est necessaria praedicta discussio, ut unicuique innotescat de se ipso et de aliis, quomodo sint digni poena vel gloria; ut sic boni in omnibus de Dei justitia gaudeant et mali contra se ipsos irascantur. Nec est aestimandum quod hujusmodi discussio meritorum verbo tenus fiat. Immensum enim tempus requireretur ad enarrandum singulorum excogitata, dicta et facta bona vel mala: unde Lactantius deceptus fuit, ut poneret diem iudicii mille annis duraturum; quamvis nec hoc tempus sufficere videatur, cum ad unius hominis iudicium modo praedicto complendum plures dies requirerentur. Fiet virtute divina ut statim unicuique occurrant bona vel mala omnia quaecumque fecit, pro quibus est praemiandus vel puniendus; et non soli unicuique de se ipso, sed etiam unicuique de aliis. Ubi ergo intantum bona excedunt, quod mala nullius videntur esse momenti, aut e converso: nulla esse concertatio videbitur bonorum ad mala secundum existimationem humanam, et propter hoc sine discussione praemiari vel puniri dicuntur.

In illo autem iudicio licet omnes Christo assistant, different tamen boni a malis non solum quantum ad causam meritoriam, sed etiam loco segregabuntur ab eis. Nam mali, qui terrena diligentes a Christo recesserunt, remanebunt in terra; boni vero, qui Christo adhaeserunt, obviam Christo occurrent in aëra sublevati, ut Christo conformentur, non solum configurati gloriae claritatis ejus, sed in loco consociati, secundum illud Matth. 24, 28: "Ubi cumque fuerit corpus, illuc congregabuntur et aquilae:", per quas significantur sancti. Signanter autem loco corporis in Hebraeo "joatham,"¹ dicitur secundum Hieronymum, quod "cadaver," significat ad commemorandum Christi passionem, per quam Christus et potestatem judicariam promeruit, et homines conformati passioni ejus ad societatem gloriae illius assumuntur, secundum illud Apostoli: "Si compatimur et conregnabimus:", 2 Tim. 2, 12. Et inde est quod circa locum dominicae passionis creditur Christus ad iudicium descensurus, secundum Joel. 3, 2: "Congregabo omnes gentes, et deducam eas in vallem Josaphat, et disceptabo cum eis ibi:", quae subjacet monti Oliveti, unde Christus ascendit. Inde etiam est quod veniente Domino ad iudicium, signum crucis et alia passionis indicia demonstrabuntur, secundum illud Matth. 24, 30: "Et tunc apparebit signum filii hominis in caelo:", ut impii videntes in quem confixerunt, doleant et crucientur; et ii qui redempti sunt, gaudeant de gloria redemptoris. Et sicut Christus a dextris Dei sedere dicitur secundum humanam naturam, in quantum est ad bona potissima Patris sublimatus, ita

justi in iudicio a dextris ejus dicuntur insistere; quasi honorabilissimum apud eum locum habentes.

CAPUT CCXLV.

Quod sancti judicabunt.

Non solum autem Christus in illo iudicio judicabit, sed etiam alii. Quorum quidam judicabunt sola comparatione, scilicet boni minus bonos, aut mali magis malos, secundum illud Matth. 12, 41: "Viri Ninivitae surgent in iudicio cum generatione ista, et condemnabunt eam." Quidam vero judicabunt per sententiae approbationem; et sic omnes justi judicabunt, secundum illud Sap. 3, 8: "Judicabunt, sancti nationes." Quidam vero judicabunt, quasi judiciariam potestatem accipientes a Christo, secundum illud Psal. 149, 6: "Gladii ancipites in manibus eorum." Hanc autem ultimam judiciariam potestatem Dominus Apostolis repromisit Matth. 19, 28, dicens: "Vos qui secuti estis me, in regeneratione cum sederit filius hominis in sede majestatis suae, sedebitis et vos super sedes duodecim judicantes duodecim tribus Israel." Non est autem judicandum, quod soli Judaei, qui ad duodecim tribus Israel pertinent, per Apostolos judicentur; sed per duodecim tribus Israel omnes fideles intelliguntur, qui in fidem Patriarcharum sunt assumpti. Nam infideles non judicantur, sed jam judicati sunt. Similiter etiam non soli duodecim Apostoli, qui tunc erant, cum Christo judicabunt; nam neque Judas iudicabit, nec Paulus, qui plus aliis laboravit, carebit judiciaria potestate, praesertim cum ipse dicat (1 Corinth. 6, 3): "Nescitis quod angelos judicabimus?" sed ad illos proprie haec dignitas pertinet qui relictis omnibus Christum sunt secuti: hoc enim promissum est Petro quaerenti et dicenti (Matth. 19, 27): "Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te: quid erit nobis?" Unde Job 36, 6: "Iudicium pauperibus tribuit:"¹ et hoc rationabiliter: ut enim dictum est, discussio erit de actibus hominum qui terrenis rebus bene vel male sunt usi. Requiritur autem ad rectitudinem iudicii ut animus iudicis sit liber ab iis de quibus habet iudicare: et ideo per hoc quod aliqui habent animum suum a rebus terrenis totaliter abstractum, dignitatem judiciariam merentur. Facit etiam ad meritum hujus dignitatis praeceptorum divinorum annuntiatio: unde Matth. 25, Christus cum Angelis ad judicandum dicitur esse venturus, per quos praedicatores

¹ Al. tribuent.

intelliguntur, ut Augustinus in lib. de Poenitentia dicit. Decet enim ut illi discutiant actus hominum circa observantiam divinorum praeceptorum qui praecepta vitae annuntiaverunt. Judicabunt autem praedicti in quantum cooperabuntur ad hoc quod unicuique appareat causa salvationis et damnationis tam sui quam aliorum, eo modo quo superiores Angeli inferiores, vel etiam homines illuminare dicuntur. Hanc igitur judiciariam potestatem confitemur in Christo in Symbolo Apostolorum, dicentes: "Inde venturus est iudicare vivos et mortuos."

CAPUT CCXLVI.

Quomodo distinguuntur articuli de praedictis.

His igitur consideratis, quae pertinent ad fidei christianae veritatem, sciendum est, quod omnia praemissa ad certos articulos reducuntur. Secundum quosdam quidem ad duodecim, secundum alios autem ad quatuordecim. Cum enim fides sit de iis quae sunt incomprehensibilia rationi: ubi aliquid novum occurrit rationi incomprehensibile, ibi oportet esse novum articulum. Est igitur unus articulus pertinens ad Divinitatis unitatem: quamvis enim Deum esse unum ratione probetur, tamen eum sic praeesse immediate omnibus, vel singulariter sic colendum, subjacet fidei. De tribus autem personis ponuntur tres articuli. De tribus autem effectibus Dei, scilicet creationis, quae pertinet ad naturam, justificationis, quae pertinet ad gratiam, remunerationis, quae pertinet ad gloriam, ponuntur tres alii: et sic de Divinitate in universo ponuntur septem articuli. Circa humanitatem vero Christi ponuntur septem alii; ut primus sit de incarnatione et conceptione: secundus de nativitate, quae habet specialem difficultatem propter exitum a clauso Virginis utero; tertius de morte et passione et sepultura: quartus de descensu ad inferos: quintus de resurrectione: sextus de ascensione: septimus de adventu ad iudicium: et sic in universo sunt quatuordecim articuli.

Alii vero satis rationabiliter fidem trium personarum sub uno articulo comprehendunt, eo quod non potest credi Pater quin credatur et Filius et amor nectens utrumque, qui est Spiritus sanctus; sed distinguunt articulum resurrectionis ab articulo remunerationis: et sic duo articuli sunt de Deo, unus de unitate, et alius de trinitate; quatuor de effectibus, unus de creatione alius de justificatione, tertius vero de communi resurrectione, quartus de remuneratione. Similiter circa fidem humanitatis Christi, conceptionem et nativitatem sub uno ar-

ticulo comprehendunt, sicut passionem et mortem. Sic igitur in universo, secundum istam computationem sunt duodecim articuli. Et haec de fide sufficiant.

CAPUT CCXLVII.

DE VIRTUTE SPEI.

PROOEMIUM

Ordo et ratio tractandorum exponitur.

Quia secundum principis Apostolorum sententiam admone-
mur ut non solum rationem reddamus de fide, sed etiam de
ea quae in nobis est spe; post praemissa, in quibus fidei chris-
tianae sententiam breviter prosecuti sumus, restat ut de iis
quae ad spem pertinent, compendiosam tibi expositionem fa-
ciamus. Est autem considerandum, quod in aliqua cognitione
desiderium hominis requiescere potest, cum homo naturaliter
scire desideret veritatem, qua cognita ejus desiderium quietatur.
Sed in cognitione fidei desiderium hominis non quiescit: fides
enim imperfecta est cognitio, ea enim creduntur quae non
videntur: unde Apostolus eam vocat "argumentum non ap-
parentium," ad Hebr. 11. Habita igitur fide, adhuc remanet
animae motus ad aliud, scilicet ad videndum perfecte veritatem
quam credit et assequendum ea per quae ad veritatem hujus-
modi poterit introduci. Sed quia inter cetera fidei documenta
unum esse diximus ut credatur Deus providentiam de rebus
humanis habere, insurgit ex hoc in animo credentis motus spei,
ut scilicet bona quae naturaliter desiderat, ut edoctus ex fide,
per ejus auxilium consequatur. Unde post fidem ad perfectio-
nem christianae vitae spes necessaria est, sicut supra jam di-
ximus.

CAPUT CCXLVIII.

*Quod hominibus convenienter inducitur oratio, per quam
obtineant quae a Deo sperant; et de diversitate orationis
ad Deum et ad hominem.*

Quia vero secundum divinae providentiae ordinem unicui-
que attribuitur modus perveniendi ad finem secundum conve-
nientiam suae naturae, est etiam hominibus concessus congruus

modus obtinendi quae sperat a Deo secundum humanae con-
ditionis tenorem. Habet enim hoc humana conditio ut aliquis
interponat deprecationem ad obtinendum ab aliquo, praesertim
superiori, quod per eum se sperat adipisci: et ideo inducta est
hominibus oratio per quam homines a Deo obtineant, quod ab
ipso consequi sperant.

Aliter tamen necessaria est oratio ad obtinendum aliquid
ab homine, aliter a Deo. Interponitur enim ad hominem pri-
mum quidem, ut desiderium orantis et necessitas exprimat: se-
cundo ut deprecanti animus ad concedendum flectatur: sed
haec in oratione quae ad Deum funditur, locum non habent.
Non enim in orando intendimus necessitates nostras aut desi-
deria Deo manifestare, qui omnium est cognitor: unde et Psalm.
37, 10, dicit ei: "Domine, ante te omne desiderium meum;"
et in Evangelio dicitur Matth. 6, 32: "Scit Pater vester quia
his omnibus indigetis." Nec etiam divina voluntas verbis hu-
manis flectitur ad volendum quod prius noluerat: quia, ut
dicitur Num. 23, 19: "non est Deus quasi homo ut mentiatur,
nec ut filius hominis, ut mutetur:," nec poenitudine flectitur,
ut dicitur 1 Reg. 15. Sed oratio ad obtinendum a Deo est
homini necessaria propter se ipsum, qui orat; ut scilicet ipse-
met suos defectus consideret, et animum suum flectat ad fer-
venter¹ et pie desiderandum quod orando sperat obtinere: per
hoc enim ad recipiendum idoneus redditur.

Est autem et alia differentia consideranda orationis quae
ad Deum et hominem fit. Nam ad orationem quae fit ad ho-
minem, praexigitur familiaritas, per quam sibi deprecandi adit-
us pateat; sed ipsa oratio quae ad Deum emittitur, familiares
nos Deo facit, dum mens nostra elevatur ad ipsum, et quodam
spirituali affectu Deo colloquitur, in spiritu et veritate ipsum
adorans; et sic familiaris effectus orando aditum sibi parat ut
iterum fiducialius oret: unde dicitur in Psalm. 16, 6: "Ego
clamavi," scilicet fiducialiter orando, "quoniam exaudisti me
Deus;" quasi per primam orationem in familiaritatem receptus,
secundo fiducialius clamet: et propter hoc in oratione divina
assiduitas, vel petitionum frequentia non est importuna, sed
reputatur Deo accepta: "oportet," enim "semper orare et non
deficere," ut dicitur Luc. 18, 1. Unde et Dominus ad peten-
dum invitat, dicens Matth. 7, 7, "Petite, et dabitur vobis...
pulsate, et aperietur vobis." In oratione vero quae ad homi-
nem fit, petitionum assiduitas redditur importuna.

¹ Al. fluenter.

CAPUT CXXLIX.

Quod conveniens fuit ad consummationem spei, ut nobis forma orandi traderetur a Christo.

Quia igitur ad salutem nostram post fidem etiam spes requiritur, opportunum fuit ut Salvator noster sicut auctor et consummator nobis factus est fidei reserando¹ caelestia sacramenta; ita etiam nos in spem vivam induceret, nobis formam orandi tradens, per quam maxime spes nostra in Deum erigitur, dum ab ipso Deo edocemur quid ab ipso potendum sit. Non enim ad petendum induceret nisi proponeret exaudire: nullusque ab alio petit nisi de quo sperat, et ea ipse petit quae sperat. Sic igitur dum nos docet a Deo aliqua petere, in Deo nos sperare admonet, et quid ab ipso sperare debeamus ostendit per ea quae in oratione dominica continentur, demonstrabimus quicquid ad spem christianorum pertinere potest: scilicet in quo spem ponere debeamus, et propter quam causam, et quae ab eo sperare debeamus. Spes quidem nostra debet esse in Deo, quem etiam orare debemus, secundum illud Psalm. 61, 9: "Sperate in eo," scilicet Deo, "omnis congregatio populi; effundite coram illo," scilicet orando, "corda vestra."

CAPUT CCL.

Causa quare quae speramus, debemus ab ipso Deo orando petere.

Causa autem quare in eo sperandum est haec praecipua est, quia pertinemus ad ipsum sicut effectus ad causam. Nihil autem in vanum operatur, sed propter aliquem finem certum. Pertinet igitur ad unumquodque agens sic effectum producere ut ei non desint per quae possit pervenire ad finem: et inde est quod in his quae naturalibus agentibus fiunt, natura deficere in necessariis non invenitur, sed attribui unicuique generato quae sunt ad consistentiam sui esse, et ad perficiendum operationem qua pertingat ad finem; nisi forte hoc impediatur per defectum agentis, qui sit insufficiens ad haec exhibenda. Agens autem per intellectum non solum in ipsa effectus productione ea confert suo effectui, quae sunt necessaria ad finem

¹ Al. reservando.

intentum, sed etiam opere jam perfecto disponit de usu ipsius, qui est operis finis; sicut faber non solum cultellum fabricat, sed etiam disponit de incisione ipsius. Homo autem a Deo est productus ut artificiatum ab artifice: unde dicitur Isai. 64, 8: "Et nunc, Domine, fictor noster es tu, nos vero lutum:" et ideo sicut vas fictile, si sensum haberet, sperare de figulo posset ut bene disponderetur; ita etiam homo debet habere spem de Deo, ut recte gubernetur ab eo: unde dicitur Jer. 18, 6: "Sicut lutum in manu figuli, sic vos, domus Israel, in manu mea."

Haec autem fiducia quam homo habet de Deo, debet esse certissima. Dictum enim est, quod agens a recta sui operis dispositione non recedit nisi propter aliquem ejus defectum. In Deo autem nullos defectus cadere potest neque ignorantia, quia "omnia nuda et aperta sunt oculis ejus," ut dicitur Hebr. 4, 12: neque impotentia, quia: "non est abbreviata manus" ejus "ut salvare non possit," ut dicitur Isa. 59, 1; neque iterum defectus bonae voluntatis, quia "bonus est Dominus sperantibus in eum, animae quaerenti illum," ut dicitur Thren. 3, 28. Et ideo spes qua aliquis de Deo confidit, sperantem non confundit, ut dicitur Rom. 5.

Est autem considerandum ulterius, quod etsi respectu omnium creaturarum providentia dispositionis invigilet, speciali tamen ratione curam habet de rationalibus; quae scilicet dignitate imaginis ipsius sunt insignitae, et ad eum cognoscendum et amandum possunt pertingere, et suorum actuum dominium habent, ut boni et mali discretionem habentes: unde competit eis fiduciam habere de Deo, non solum ut conserventur in esse secundum conditionem suae naturae, quod competit ceteris creaturis, sed etiam ut recedendo a malo et operando bonum, aliquid promereantur ab ipso: unde in Psal. 35, 7, dicitur: "Homines et jumenta salvabis," in quantum scilicet hominibus simul cum irrationabilibus creaturis confert ea quae pertinent ad subsidium vitae; sed postea subdit: "Fili autem hominum in tegmine alarum tuarum sperabunt," quasi speciali quadam cura protecti ab ipso.

Uterius autem considerare oportet, quod perfectione quacumque accedente, superadditur facultas aliquid faciendi vel adipiscendi; sicut aer illuminatus a sole facultatem habet ut possit esse medium visionis, et aqua calefacta ab igne facultatem habet decoquendi, et hoc sperare posset si sensum haberet. Homini autem supra animae naturam additur perfectio gratiae, per quam efficitur divinae consors naturae, ut dicitur 2 Pet. 1: unde et secundum hoc dicimur regenerari in filios Dei, secundum illud Joan. 1, 12: "Dedit eis potestatem filios Dei fieri." Filii autem effecti convenienter possunt haereditatem sperare,